



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput V. De mirabili effectu divini amoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

anhelant: de terrenis graviter ar-
diunt, necessitatibus naturæ dolen-
ter inserviunt: & hi sentiunt, quid
spiritus veritatis loquitur in eis.

Quia docet eos terrena despiciere,
& amare cœlestia: mundum negli-
gere, cœlum tota die, ac nocte de-
siderare.

CAPUT V.

De mirabili effectu divini amoris.

1. **B**enedico te Pater cœlestis, Pa-
ter Domini mei Jesu Christi,
quia mei pauperis dignatus es reco-
dari.

O Pater misericordiarum, & De-
us totius consolationis, gratias tibi
ago, qui me indignum omni conse-
latione quandoque tua recreas con-
solatione.

Benedico te semper, & glorifico
cum unigenito Filio tuo, & glorifi-
co, cum unigenito Filio tuo, & Spi-
ritu Sancto Paraclito in secula seculi
lorum.

E
meu
exu
Ta
dis m
meun
2.
amor
ideo
conf
pius
L
& sa
tioni
bene
amar
bilis
3.
omni
cit o
ter o
N
omni
ficit.
A

Eja

Eja Domine Deus amator Sancte
meus, cum tu veneris in cor meum,
exultabunt omnia interiora mea.

*Tu es gloria mea, & exultatio cor-
dis mei. Tu spes mea, & refugium
meum in die tribulationis mee.*

2. Sed quia adhuc debilis sum in
amore, & imperfectus in virtute;
ideo necesse habeo a te consolari, &
confortari: propterea visita me sæ-
pius, & instrue disciplinis sanctis.

Libera me a passionibus malis,
& sana cor meum ab omnibus affec-
tionibus inordinatis: ut sanatus, &
bene purgatus, aptus efficiar ad
amandum, fortis ad patiendum, sta-
bilis ad perseverandum.

3. Magna res est amor, magnum
omnino bonum, quod solum leve fa-
cit omne onerosum, & fert æquali-
ter omne inæquale.

Nam onus sine onere portat, &
omne amarum dulce ac sapidum ef-
ficat.

Amor Jesu nobilis ad magna ope-
randa

randa impellit, & ad desideranda
semper perfectiora excitat.

Amor vult esse sursum, nec ullis
infinis rebus retineri.

Amor vult esse liber, & ab omni
mundana affectione alienus, ne in-
ternus ejus impediatur aspectus, ne
per aliquod commodum temporale
implicationem sustineat, aut per in-
commodum succumbat.

Nihil dulcius est amore, nihil for-
tius, nihil altius, nihil latius, nihil
jucundius, nihil plenius, nec melius
in caelo, & in terra: quia amor ex
Deo natus est, nec potest, nisi in
Deo super omnia creata quiescere.

4. Amans volat, currit & læta-
tur; liber est, & non tenetur.

Dat omnia pro omnibus, & ha-
bet omnia in omnibus; quia in uno
summo super omnia quiescit, ex
quo omne bonum fluit, & procedit.

Non respicit ad dona, sed ad do-
nantem se convertit super omnia
bona.

Amor

Am
super
Am
non r
valet:
latur,
cere a
Val
implet
non a
5. A
dormi
Fat
non co
batur;
ardens
curequ
Si o
vox ch
Mag
est ipse
dicit:
totus n
Amor

Amor modum sæpe nescit, sed
super omnem modum fervescit.

Amor onus non sentit, labores
non reputat, plus affectat, quam
valet: de impossibilitate non cau-
satur, quia cuncta sibi posse, & li-
cere arbitratur.

Valet igitur ad omnia, & multa
implet, & effectui mancipat, ubi
non amans deficit, & jacet.

5. Amor vigilat, & dormiens non
dormitat.

Fatigatus non lassatur, arctatus
non coarctatur, territatus non contur-
batur; sed sicut vivax flamma, &
ardens facula, sursum erumpit, se-
cureque pertransit.

Si quis amat, novit, quid hæc
vox clamet.

Magnus clamor in auribus Dei
est ipse ardens affectus animæ, quæ
dicit: *Deus meus, amor meus. Tu
totus meus, & ego totus tuus.*

O R A T I O.

Pro amore Dei impetrando.

I. **D**ilata me in amore, ut discere
interiori cordis ore degu-
re, quam suave sit amare, &
amore liquefieri, & natare.

Teneat amore, vadens supra
pro nimio fervore, & stupore.

Cantem amoris canticum, sequi
te dilectum meum in altum, deficiam
in laude anima mea, jubilans
amore.

Amem te plusquam me, nec
nisi propter te: & omnes in te:
vere amant te sicut jubet lex
ris lucens ex te.

2. Est amor velox, sincerus, pius
jucundus, & amœnus: fortis,
tius, fidelis, prudens, longanimus
virilis, & seipsum nunquam quaerens.

Ubi enim seipsum aliquis quaerit
ibi ab amore cadit.

Est amor circumspectus, humilis
& rectus: non mollis, non levis

nec v
castus

ctis l

Est

Præla

Deo

& spe

sibi n

non v

8.

& ad

est di

Op

amara

plecti

ab eo

I. F

Qu

Qu

tatem

avide

de

nec vanis intendens rebus, sobrius, castus, stabilis, quietus, & in cunctis sensibus custoditus.

Est amor subiectus, & obediens Prælati, sibi vilis, & despectus, Deo devotus, & gratificus, fidens & sperans semper in eo, etiam cum sibi non sapit Deus; quia sine dolore non vivitur in amore:

8. Qui non est paratus omnia pati, & ad voluntatem stare dilecti, non est dignus amator appellari.

Oportet amantem omnia dura, & amara propter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

CAPUT VI.

De probatione veri amoris.

I. **F**ili, non es adhuc fortis, & prudens amator.

Quare Domine?

Quia propter modicam contrarietatem deficis a cœptis, & nimis avide consolationem quæris.